

# DE SALIBVS

## CONFICIENDIS,

Et de illis, quæ Destillatione parantur,

COMMENTARIVM XII.



**S**ALES, qui arte conficiuntur ex variis adustis Simplicibus, atque cōpositis Pharmacis non solum apud Antiquos Medicos vsu venerunt; sed à Recentioribus, & potissimum à Chymistis probantur, & celebrantur: qui quidem arte illa admirabili nō tantum à Plantis, ac eius partibus Salem eliciunt; sed etiam à Lapidibus, & Metallicis: nec mirum, cum Oleum ab his ita aridis, atque duris extrahere audeant.

Sal facilius ab omnibus educitur, si illa igni ardentia durantur, & in cinerem redigantur, ex quo Lixiuum paretur, cuius pars syncerior, & purior reiectis crassioribus in vase aliquo vitreo, aut vitreato ponatur, & diplomate, aut super calidos cineres, exsicceetur, tale autem exsiccatum erit Sal. Cognouit hunc modum ipsum conficiendi Auicenna lib. 1. Fen. 1. Doct. iiij. ita: *Et est etiam, cum Sal fit artificialiter ex Cinere, & Alkali, & Calce, & ex alijs, cum in aqua coquantur, & colantur; & coquitur illa aqua, donec in Salem coaguletur; aut ita dimittitur, donec per se coaguletur.*

Nnn 2      Salem

*Salem Alkali faciendi modus.*

Paretur fouea, vel vas aliquod, cui transversim imponantur ligna, vel craticula lignis fabrefacta contegatur, cui superponatur magna copia herbæ Cali, quæ admodum salsa sapore existit, ignis accendatur, stillabit ab ipsa liquor, qui in Salem concrefcet.

*Sal Theriacus à Galeno descriptus lib. de Theriaca ad Pisonem cap. 19. et parandi Ratio.*

**Rx.** Viperas viuas non plùs duobus diebus asseruatas, sed meliores, si eodem die, quo captæ fuerunt, nu. iiij.

Salis Ammoniacy, sin minus communis acri parumper expositi modium vnum Italicum, qui vt plurimum pendet lib. xx.

Gentianæ Cretensis,

Aristolochiæ rotundæ ana lib. j. β.

Summitatum Centaurii minoris lib. ij.

Cardamomi,

Marrubii ana lib. β.

Scordei Montani,

Chamedryos Creticæ,

Sem. Rutæ domesticæ ana lib. j.

Mellis Attici q. s. ad commiscendum omnia.

Harum rerum mediam portionem in ollam nouam ex argilla confectam conijce: postea Viperas quattuor

quattuor viuas superimmitte, & cū eis Scillas quinque recentes, & nuper euulsas, atque in frusta concisas: inde reliquum aliarum rerum dimidium: postremò lutum ollæ diligenter inducito, vbi prius operculum imposueris: quod foraminibus quattuor aperies, vt per ea vapor egrediens assationis mensuram significet: Nam fumus, qui primū exhibit, obscurus admodum, & valdè turbidus denotabit ignem ad Viperas peruenisse; quo tempore diligenter aduertas moneo, vt respirando aerem non attrahas hoc fumo infectum, qui à Viperis exhalat. His peractis, cum fumus desisteret, & tenuem quandam flammam è foraminibus ascendere videbis, tunc optimè testa cuncta iudicato: itaque transfer ollam ab igne in locum, vbi per integrum diem, & noctē frigescat: Inde vase adaperto combustas res exime, quibus contusis, atque cribratis hæc adiunge

Sem. Rutæ siluestris,

Hysopi Creticæ ana vnc. ix.

Feniculi siluestris,

Nardi Gallicæ,

Sthachyos Scythicæ, eius loco Marrubii, vel

Melissæ ana vnc. vj.

Petroselini Macedonici vnc. iiij.

Racemorum Amomi vnc. iiij.

Capitulorum Origani Heracleotici vnc. ix.

Sem. Hormini torrefacti, à nonnullis Sclareæ vnc. iiij.

Summitatum Thymi Attrici vnc. ix.

Fol. Malabathri Indi, eius loco Macis vnc. iiij.

Carnium

470 De vera Meth. Pharm. par.

Carnium Baccarum Iuniperi lib. ij.  
 Sem. Coriandri domestici lib. β.  
 Piperis Albi, & Nigri ana lib. ij.  
 Radicum Silphij, idest Laserpitij vnc. x.  
 Zingiberis non perforati lib. ij.  
 Radicum Satyrij lib. β.  
 Pulegij Montani lib. β.  
 Semin. Seseleos Massiliensis,  
 Semin. Tordili Montani, eius loco Sileris  
 Montani,  
 Mentæ ana vnc. vj.  
 Casia optimæ vnc. ij.  
 Cinnamomi vnc. j. *Incred. xxx. vj.*

Hæc vbi semel contudi, & excussi, denuò & con-  
 contundere, & excutere molior, quo sæpenumero  
 cribrata in tenuissimum puluerem redigantur: quæ  
 in vitreis vasis positum non statim, sed a quadrage-  
 simo die vtendum trado. Ceterum ipse hunc Salem  
 etiam non inustis Viperis conficio, verum pastil-  
 los, ex eis quorum compositionem in Theriaca do-  
 cui, reliquis quæ cum Viperis vruntur, admisceo,  
 ipsosque comburo, vt quam in se habent amaritu-  
 dinem, incendio deponant. Tantam verò Pastillo-  
 rum mensuram impono, quantam habere quat-  
 tuor Viperas coniicio, ac re vera Sal quam optimus  
 euadit, vt qui propter vstionem, neque cineru-  
 lentum quippiam gustatus præ se ferat, neque con-  
 spectus nigredinem, verum & iucundissimus acci-  
 pientibus euadat, & virtutem, ad quæ dixi ipsum  
 propriè

propriè valere, præstantiorem euadat. Hæc omnia Gal. Non idem est rerum aridarum pondus, et si Modij vna & eadem mensura existat, nec Salis; aliquis enim grauior procul omni dubio aliquo alio exstat, & ideo difficile ab omnibus reputatur tale præfigere pondus. Decreuit Aet. lib. 13. cap. de Sale Theriaco Modium viginti esse libras: ad mentem Pauli autem Aegin. vbi de Aridis, esse octo Chénices, quæ erant libræ decem; nos autem Actij sententiam sequi statuimus.

Modij pondus  
varius.

*De illis, quæ Destillatoria arte parantur.*

Varij procul omni dubio liquores, & mirum in modum præstantes, atque efficaces destillatione illa parantur, qua vi caloris partes illorum, quæ in vitro vase continentur, synceriores, & vt ita dicam, à rudi materia seiunctæ in sublime efferuntur, quæ destillationis species à Chymistis per ascensum appellatur. Id quod emanat, interdum Aqua, & interdum Oleum existit, quæ aqua non rarò inchoante destillatione lactea conspicitur, deinde flauescens, & tandem rubra; vel rubra quandoque, & postea flaua apparet, & occurrit intuentibus: quæ eueniunt & pro diuersitate eorum, quæ destillantur, & pro caloris intensione, aut pro longitudine temporis, quo talis celebratur actio; primò enim illud, quod magis aqueum foris elabitur, & tandem quod terreum, atque crassius, maximè si intendatur caloris gradus. Eliciuntur aquæ, ceterique liquores ab illis,

quæ

quæ cucurbita vitrea detinentur semper calore, qui aliquando aquea substantia residet, vt cum destillantur aliqua Balneo Mariæ; interdum subiecto sicco, atque arido, vt cum cineribus hoc agitur, & non rarò vi solùm ipsius caloris nullo corpore intermedio. Primo modo placidè Aquæ educuntur ab Herbis contusis, vel Floribus, duobus diebus, aut saltè vno proprio humido maceratis, sic & à Decoctis, & alijs aquosis. Vigorosè secundo modo eliciuntur à Seminibus, & Radicibus, & Baccis aliquo humore irroratis: Violenter tertio modo extrahuntur Olea à Gummi, quod etiam assequitur feruentissima arena, aut ferri limatura candenti; difficile enim Oleaginosa portio, quæ in Gummi continetur, ad sublimia se extollit vi caloris liquata, & per capitelli rostrum foras elabitur; sed de his incidenter satis, & crassa Minerva sit dictum. Cognouit hæc destillationis genera Mes. immo multa Olea, vt de Vitellis Ouorum hac arte confecit, cuius verba: *Ipsi Vitelli corpulento Vasi imponantur, Oleumq. in Capitellum ignis violentia tollatur.* Sic de Frumento; multaq. alia hoc modo paratur scilicet sublimationis vase.

### *Aqua Theriacalis.*

R̄x. Theriacæ vnc. iiij.  
 Mithridatij vnc. ij.  
 Confectionis de Hyacintho vnc. j.  
 Dictamni albi,  
 Rad. Tormentillæ ana vnc. ij. β.

Rad. An-

Rad. Angelicæ,  
 Scurzuneræ, Tragopogani species, vt  
 aliqui,  
 Valerianæ,  
 Gentianæ;  
 Aristolochiæ rotundæ,  
 Pentaphylli,  
 Vincetoxici ana vnc. ij. β.  
 Fol. Melissæ,  
 Calaminthes, eius loco Mentastris,  
 Caryophyllatæ,  
 Ocimi, scilicet Basilic.  
 Rutæ Caprariæ, siue Galagæ,  
 Scordei,  
 Cardui Sancti ana vnc. j. β.  
 Corticum Citri vnc. j.  
 Croci,  
 Corallij rubri præpar.  
 Terræ Lemniæ,  
 Cornu Cerui præpar. ana vnc. j. β.  
 Flor. Citri,  
 Violarum,  
 Buglossi,  
 Borraginis,  
 Rosarum rub. ana pug. j.  
 Sem. Oxalydis,  
 Thlaspi ana vnc. ij.  
 Vini albi, & odori lib. x.  
 Aquæ Rutæ Caprariæ,  
 Cardui Sancti ana lib. v.  
 Ooo Tritu-

474 De vera Meth. Pharm. par.

Trituranda terantur crassiusculè, & omnia curiosè confundantur simul, & vase vitreo, aut vitreato diebus viginti insolentur, postea Balneo Mariæ destillentur, cui aquæ adde

Specierum Diambæ,

Lætificantis,

Diamoschi,

De Gemmis ana script. j.

Xiloaloes,

Caryophyllorum,

Santalorum flauorum ana drach. j. *Ingr. xlj.*

Crassum in puluerem arida minuantur, sindoneque illigata, seu nodulo filo appenso dictum in liquorem immergantur.

*Alia aqua Theriacæ.*

Rx. Theriacæ lib. β.

Croci vnc. ij.

Corticum flauarum Citri vnc. viiij.

Succi Rutæ,

Saluiæ,

Betonicæ,

Vini albi vigorosi ana lib. j. *Ingr. viij.*

Macerentur quattuor diebus, & destillentur.

*Stillatitium Cardiacum Febris aduersans  
Malignis.*

Rx. Foliorum tenellorum Citri recentium M. j.

Fol.

Fol. Boraginis,

Pimpinellæ,

Scordei ana M. j.

Flor. Boraginis,

Buglossi,

Citri ana vnc. iij.

Sem. Oxalidis,

Rutæ Caprariæ ana vnc. j. β.

Fructus Citri integros, odoros, & recentes numero iij.

Ligni Santalorum Rubeorum,

Flauorum,

Alborum ana vnc. j. script. j.

Rad. Vincetoxici,

Scurzunera,

Tormentillæ,

Pentaphylli

Caryophyllatæ ana vnc. j.

Succi Rutæ Caprariæ,

Citri acidi ana lib. vj.

Folia disrumpantur, Semina crassiusculè terantur, Ligna læuigentur, Fructus triturentur, quilibet quorum non excedat libras duas, Radices incidantur, & contundantur: omnia infundantur per diē, & noctem in dictis Succis calidis; deinde destillentur, cui stillatio adde

Aquæ è Floribus Citri,

Scurzunera,

Rosacæ ana lib. j.

Margaritarum præpar. vnc. ij. β.

000 2 Lapi-

476 De vera Meth. Pharm. par.

Lapidis Bezaar drach. iij.

Terræ Sigillatæ vnc. j.

Auri purissimi bracteolas nu. xxx. *Ingr. xxviij.*

Margaritæ, Lapis Bezaar, & Terra Sigillata diligenter læuigentur, & folia Auri dilacerentur subtilissimè, quæ omnia saltem per decem horas in quinque vnciis succi Citri calidi optimè depurati mace-  
rentur, sæpe ea exagitando. Vigorosius erit si in di-  
cto Stillatitio virga Auri purissimi candens vicies  
extinguatur. Dosis sit vncia vna longè quattuor ho-  
ris à cibo desumpta.

*Aqua, seu Stillatitium Cinnamomi.*

℞. Cinnamomi electilib. ij.

Aquæ, vel Vini Aromatici lib. xij.

Cinnamomum crassiusculè contundatur, & in-  
fundatur in Vino feruenti per diem, & duplici vase  
destilletur ad dimidium, reliquum enim ferè inuti-  
le erit. Suauior Aqua erit, si Moschi grana x. addan-  
tur, & Sacchari vnciæ duæ.

Hoc modo paratur Aqua, seu Stillatitium

Caryophilorum,

Ligni Aloes,

Macis,

Nucis Myristicæ,

Angelicæ,

Galangæ,

Zedoariæ,

Et similia.

*Elixir*

*Elixir Vita suauissimum.*

℞. Fol. Auranciorum tenellulorum M.ij.  
 Melissæ,  
 Menthæ,  
 Caryophylatę ana M.j.  
 Santalorum flauorum ꝑnc.ij.  
 Florum Citri lib.j. β.  
 Rorismarini lib.β.  
 Cinnamomilib.j.  
 Sacchari albi lib.v.  
 Xiloaloes drach. iij.  
 Vini Cretici dulcis, & moschati lib.xv.  
 Ambræ,  
 Moschi ana drach. β. *Incred. xij.*

Folia, & Flores frangantur; Cinnamomum, & Xiloaloes crassiusculè terantur, omnia hæc simul in botia decem diebus macerentur Vino prima die calido; postea destillentur, destillato adde Saccharum diligenter tritum, cum cuius aliqua portione Moschus & Ambræ læuigentur. In his semper vasa stannata, plumbea, & ærea fugienda.

*Elixir Vigorofus.*

℞. Nucis Myristicæ, s. Moschatæ,  
 Macis,  
 Cinnamomi ana drach. iij.

Caryo-

Caryophyl.

Cubebæ,

Cardamomi,

Gentianæ,

Zingiberis,

Angelicę,

Zedoariæ,

Xiloaloes, idest Ligni Aloes,

Piperis albi, &amp; nigri ana drach. iij.

Baccarum Iuniperi,

Lauri,

Corticum Citri,

Aurancii ana drach. ij.

Rosarum Rubearum,

Saluiæ,

Rorismarini,

Calaminthes,

Pulegii,

Menthę,

Maioranæ,

Betonicæ florum,

Spicæ Nardi,

Calami Aromatici ana drach. j. β.

Moschi drach. j.

Mellis lib. j.

Sacchari albi lib. iiij.

Vini Cretici vigorosi lib. viij.

Ingred. xxx.

Fiat, vt primum.

Balsa

*Balsamum Mes. Petro Aponensi attributum.*

℞. Myrrhæ elect.  
 Aloes Hepat.  
 Spicæ Nardi,  
 Sang. Draconis,  
 Thuris,  
 Mumix,  
 Opoponacis,  
 Bdellii,  
 Ammoniaci,  
 Serapini,  
 Carpobalsami, eius loco Amomi, vel Iuni-  
 peri Baccarum,  
 Croci,  
 Mastiches,  
 Gummi Arabi,  
 Styracis liq. ana drach. ij.  
 Ladani drach. ij. β.  
 Moschi drach. β.

Terebinthinæ ad pondus omnium. *Ingr. xvij.*

Trituranda terantur, simul misceantur, & destil-  
 lentur cinerū calore. Aqua, quæ ab illis egredietur,  
 aqua Balsami dicitur, sicuti & Oleum, quod postre-  
 mō ad aucto calore emanat, Balsamum vocatur.

*Aliud.*

℞. Terebinthinæ vnc. iij.

Thuris

480 De vera Meth. Pharm. par.

Thuris,  
Mumiæ vnc. β.  
Mastiches,  
Myrrhæ ana drach. iij.  
Caryophyl.  
Cinnamomi,  
Macis,  
Styracis ana drach. ij.  
Destillentur, vt est artis.

*Ingred. viij.*

*Aliud.*

℞. Terebinthinę Cypriæ lib. β.  
Olei Nucis Moschata vnc. iij.  
Olei Veteris vnc. v.  
Styracis,  
Chalbani,  
Euphorbij,  
Baccarum Iuniperi,  
Ligni Aloes,  
Ligni Indi,  
Calami Aromatici,  
Iuæ Artericæ ana drach. ij.  
Benzoini, s. Laserpitij Diosc. vnc. ij.  
Vini Cretici q. s. ad irroranda trita, & dissol-  
uenda Gummi. *Ingred. xiiij.*  
Arida comminuantur, Gummi Vino dissoluan-  
tur, Styrax, Terebinthina simul misceantur, & ci-  
neribus calidis destillentur: & Aqua ab Oleo sepa-  
retur.

*Oleum*

*Oleum ex Fœniculis, aut Anisis, aut Cumino.*

℞. Anisorum, aut Fœniculorum lib. iij.

Aquę fontanę lib. xxx.

*Ingr. ij.*

Tribus diebus, vel saltem duobus detrita Semina aqua calida macerentur; deinde aut Balneo Marię, aut cineribus calidis destillentur: quod quidem erit vigorosius, si potenti Vino, atque Aromatico irrorentur Semina.

Aliqua describuntur, quę proprijs locis fuerunt prætermissa.

*Diacydonium Mesue.*

℞. Succi Cydoniorum,

Mellis despumati ana lib. iij.

Aceti boni, & puri lib. ij.

Coque igni lento semper despumando ad Mellis crassitudinem, tunc insperge

Piperis longi,

Zingiberis,

Cinnamomi ana vnc. j.

Caryophyl.

Ligni Aloes ana vnc. β.

Moschi script. j.

*Ingr. ix.*

Fit interdum etiam cum alijs Aromatibus, interdum sine Aromatibus: fit etiam cum Saccharo. Mesue.

Ppp

Diacy-

*Diacydonium Gal. lib. 6. de sanit. tuenda  
descriptum cap. 15.*

℞. Succī Cydoniorum, quæ dulciora, maioraque,  
& minus acerba sint, Sext. Rom. ij. scilicet  
vnc. xlvj. β. drach. j. β. script. ij.

Mellis optimi Sext. ij. scilicet vnc. lj. dr. vj. gr. x.

Aceti Sext. j. β. scilicet vnc. xxviij. drach. β.

Hæc cum super prunas modicè coxeris, & spu-  
mam detraxeris, immittes

Zingiberis vnc. iiij.

Piperis albi vnc. ij.

*Incred. v.*

Deinde rursus igni recoques, donec Mellis craf-  
fitudo existat. At quibus frigiditas temperiẽm vi-  
riat, iis Zingiberis quattuor, Piperis tres, aut duas,  
& semis vncias iniicias, dandum tribus horis, aut  
duabus ante cibum. Hæc Gal.

*Pilule contra Pestem Rhasis, quæ Communes,  
et de Tribus dicuntur.*

℞. Aloes drach. iiij.

Myrrhæ,

Crociana drach. ij.

Vino Aromatico excipiantur.

*Incred. ij.*

*Pomum Odoratum Frigidum.*

℞. Rosarum drach. j.

Santa-

Santalorum Citrin.

Alborum,

Rubcorum,

Angelicæ tenuis ana drach. j.

Caphurę gr. xij.

Ceræ aqua Rosacea ablutæ q. s. *Ingred. viij.*

Vniantur pistillo calido in mortario, vigoroſe te-  
rendo.

*Aliud Calidum ex Ladano.*

Rx. Ligni Aloes,

Caryophyl. ana drach. ij.

Macis,

Cinnamomi ana drach. ij. β.

Moschi script. j.

Ladani puri,

Styracis electi, vel Benzoini ana dr. iiij.

Ceræ q. s.

*Ingred. ix.*

Fiat, vt supra, addendo aliquid vini Aromatici.

*Syrupus de Althea Fernelij.*

Rx. Radicum Altheæ vnc. ij.

Cicerum rubrorum vnc. j.

Rad. Graminis,

Asparagi,

Glycyrrhizę,

Passularum mundat. ana vnc. β.

Comarum Altheę,

Maluę ana M. j.

Ppp 2 Helli-

484 De vera Meth. Pharm. par.

Helsine,  
Pimpinellæ,  
Plantaginis,  
Adianti vtriusque ana M.j.  
Sem. quattuor frigid. maiorum ana drac. iij.  
Aquæ lib. vj.  
Sacchari lib. iij. β. *Ingr. xviii.*

Fiat Syrupus, vt est artis; quattuor semina frigida terantur, & cum aliqua porriuncula Decocti fiat emulsio, quæ Syrupo, dum decoquitur, paulatim addatur.

*Mel Vuarum Passarum.*

℞. Vuarum Passarum pinguiū Damascenarū lib. j.  
Aquæ communis lib. iij. β. *Ingr. ij.*

Vuæ Passæ acinis priuentur, & cū aqua bulliant prius per diem maceratæ ad eius lentorē, colentur, & exprimantur, & iterum bulliant ad Mellis compagem: possumus etiā expresso addere Mellis optimi vncias duas, vel tres.

*Vnguentum Maluinum.*

℞. Decocti foliorum Maluæ, ter mutatorum lib. j.  
Vnguenti Rosati Mef. lib. j.  
Ceræ albæ vnc. iij. *Ingr. iij.*

Bulliant omnia simul ad Decocti exhalationem. Efficacius erit, si decocto radicū Maluæ, & Hordei triti pareretur, aut eius succo.

Hæc

Hæc sunt Medicamenta, quæ Collegium hoc præstantissimum apud Pharmacopæos à Medicis imperantibus adinueniri cupit, si non omnia, saltem eorum maiorem partem: nonnulla enim describuntur hac in Pharmacopæa ab usu quotidiano intermissa, quæ, cum occasio postulabit, possunt in dies, vel in horas ab ipsis confici, atque parari.



*De vasis, atque loco, quibus necessarium est omnia  
Pharmaca seruari, atque locari, ne in fu-  
turum contaminentur putredine.*

At quoniam satis non est præscripta iam Metho-  
do omnia Medicamenta confecisse, atque parasse:  
nec perfecta, ac vigorosa ad ea componenda sele-  
gisse Simplicia: quod maximi re vera est momenti;  
cum vnum illorum imperfectum rotam Antidotū  
mancam, & contaminatam reddat, si rationi est  
acquiescendum, dictisq. Gal. lib. 1. de Antid. & 1.  
ad Pisonem c. 14. Sed toto etiam pectore incumbē-  
dum est, ut in tempus futurum, quo ad fieri potest,  
incontaminata seruentur: hoc autem facile asse-  
quuntur Pharmacopæi, (loquor pro Medicaminis  
conditione) si vase conuenienti, & loco idoneo lo-  
centur; & præterea si interdum diligenti oculo in-  
tueantur, ut si quid detrimenti passa sint, ab ipso  
vindicerentur.

Vasa nullam, si possibile est, retineant qualitatem,  
quæ aduersetur Antidoti facultatibus, quod respi-  
ciens Damocrates hæc pronunciauit, referente Ga-  
leno 1. de Antid. cap. 16. varia proponens vasorum  
genera, quæ:

*Repone, & serua vasculis non ligneis,  
Sed vitreis, argenteisque, & corneis,  
Et stanneis, & testaceis, densis tamen.*

Et Gal. vbi de Theriaca ad Pamphil. hæc: *Vase argen-  
teo, aut stanneo repone.* & lib. 1. de Antid. cap. 8. sic vbi  
de

de Viperarum Trochiscis: Vase stanneo, aut vitreo, aut etiam aureo; vitro si quidem, nec auro nihil fraudulenter admisceri potest: stannum autem plumbo adulteratur, quod scilicet plumbum vitare conueniet non solum in hac Antidoto, sed etiam quibusdam alijs Medicinis: quemadmodum & argentum, si purum non fuerit; vasa namque ex eo fabricata rubiginem contrahunt. Hæc ille. Vitrea igitur, vel vitreata, aut argentea, vel stannea, sed plumbo quo ad fieri potest priuata, vasa, quibus seruandæ sunt Confectiones, eligantur. Quæ ad summum non repleantur, sed spatium aliquod relinquendū in nonnullis Compositionibus liquidis, vel humidis, quo respirare possint, immo frequenter operculum dimouere conuenit, vt Antidotus magis diffilari possit, quæ nobis reliquit scripta Gal. ad Pis. c. 14. Vapores. n. foras egrediuntur, & sedatur ebullitio, vt Haly lib. 10. pra. interdū vitur Gal. vasis æreis ad seruanda Medicamenta oculorū, vt 4. de cōp. per loca.

Quo ad locum, Vitabis cellas subterraneas, nec ullum Medicamentum in ipsas repones, præsertim verò in humidis, in quibus recondita celeriter contaminata redduntur, vt legitur 1. de Antid. c. 2.

At non pauci Sepiasarij subterraneas cellas exoptant, vt in ipsis Cassiam fistulam seruare possint iam exsiccatā; ab humiditate enim ita imbuitur, vt non solum siccitatem illam excedentem amittat, sed disrupta in morbidum succum transacta foris erumpat: vnde tormina alui, ventriculi angores, & anxietates excitat maxima cum infamia Medicorum, & infirmorum detrimento.

Hæc

Error multorum.

Hæc omnia à nobis narrata circa Medicamenta parandi rationem firmissimam fidem legentibus facient, ac demonstrabunt; nec Recentiores Medicos, nec Pharmaceos aliquid noui adinuenisse, sed singula ab Antiquis Medicis illis, de quibus mentione fecimus, surripuisse; etiam si multi eorum circa Medicamentorum Descriptiones Antiquorum Præcepta, Observationes, Animaduersiones, Castigationes, & Lectiones posteritati reliquerunt, in quibus, si verum dicere licet, aut nihil eorum, quæ ad rationem præparandi Pharmaca attinent, reperitur, aut illud solum, quod iam dictum fuit ab inuentore Medicamenti, inuenitur. Sileant igitur non pauci Sepiasarij nostræ ætatis, pertinaci ignorantia ducti, dum Galenum, Mes. ceterosq. seniores Medicos petulanti lingua corrigere audent: qui nō ignorant, si mente constant, homines indociles, imperitos, pertinaces, maledicos, & omni litterarum studio priuatos ab ingenuis viris semper irrisos, & contemptos fuisse: quod idem affirmarent & Gal. & Mes. doctissimi, & huius artis peritissimi viri, si nostro tempore hac aura vitali fruerentur. Legant isti, legant dico, illorum libros, si hanc veritatem cognoscere cupiunt, dummodo illis aliqua sit aptitudo eorum scripta intelligendi; sin minus humili vultu, atque demisso iam dictis acquiescant.

F I N I S.